

purgentur. Validi siquidem mendici prohiberi debent, ne mendicentur. *L. univ. C. de Mendic. valid. qvæ lex repetita est à Carolo V. in R. I. de Anno 1530. Tit. von Bettlern und Müßiggängern. fol. 251.* Et Rec. Imp. de Anno 1548. f. 422. *R. I. de Anno 1577. tit. 27. f. 767.* Omnes itaque qui publicè mendicantur, sunt inspiciendi, & examinandi. Et qui deprehenduntur inertes ac validi ad laborem, unde sibi victum & amictum honestè querant, sunt cogendi: vel ut aliis serviant, coercendi. Vide Fritschium c. 15. de Valid. Mendic. n. 3. p. 125. Illis vero, qui ægri, invalidi, & fide dignum testimonium suæ egestatis producere poterunt, elemosynæ è publico suppeditandæ sunt. Vide Perez. ad L. un. C. de Mend. val. n. 5. 7. fol. 825. Qvam legem hodiè planè non observari, conqueritur non immerito Damhouder. *Prax. Crimin. c. 112. num. 55. f. 191.* Adde Paul. Christin. Vol. 5. Decis. 78. p. 158. 159.

Sunt autem Mendicantes validi, qui nullâ corporis infirmitate laborantes ostiatim panem vel pecuniam petunt, ut ita ex alieno potius, quam propriâ industriâ ac labore acquisitâ victu vivere & se sustentare volunt. Qvô pertinent desertores militiae, Die gartende Knechte, officium famuli, aut juvenes: vagantes studiosi citra necessitatem. Fritschius c. 8. p. 65. per tot. de Val. Mendic. Huc pertinent illi, qui dicuntur Mendici falsarii, qui morbos & vulnera, vel casum fortuitum v. gr. incendi, vel spoliationis & devastationis publicæ mentiuntur, quique litteris eum in finem scriptis & sigillo quodam munitis abutuntur. Illi autem, si convincuntur tanti falsi, fustigatione & perpetua relegatione puniuntur, P. Heigius part. 2. qv. 77. n. 21. p. 233. Qvoniam istud genus mendicandi habet speciem falsitatis: & licet hoc ita non esset, tamen optimo jure tanquam stelliones & publici impostores fustigandi essent.

Huc referuntur Zigeni seu Cingari. Zigeuner, qui catervatim de uno loco in alium, sed incertis sedibus migrant, & primùm in Germania Ao. 1417. vissi sunt teste Crantzio L. n. e. 2. Sax. non tantum mendicati, sed & furti sunt, dediti, qui tanquam exitiosi & nefarii homines in republica tolerandi non sunt. Qvapropter etiam Carolus V. in R. I. Anno 1548 Tit. von Zigeuner. fol. 423. de Zigenis constituit, ne ipsis concedatur transitus per territoria Principatum, nec salvus conductus indulgetur. Idem & Rudolphus II. constituit in Ordin. Pollicatit 28. de Ao. 1577. f. 768. Vide Fritschium in Tract. de Valid. Mendicant. c. 12. p. 101. Et integr. Tract. qui est Appendix in Syllog. Varior. Tractat. Juridico-Politicor. de Zigenorum origine, vita & moribus, pag. 558. & seqq.

ARTIC.